DE

IMPVTATIONE
FACTI ALIEN
CIRCA DELICTA

ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

PRAESIDE

D. GEORGIO CHRISTIAN
GEBAVERO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

DISPVTABIT

AVCTOR ET RESPONDENS

ADOLPH GOTTLOB ô FERAI
DRESDENSIS.

AD D. XXVI. APRIL. cIↄ Iↄcc XXVI.

LIPSIAE
LITERIS IMMANVELIS TITII.

Digitized by Google

VIRO

*EXCELLENTISSIMO, AM-
PLISSIMO, CONSVLTIS-
SIMO*

DOMINO

D. ANDREAE WAGNERO

JCTO CELEBERRIMO

CONSISTORII ELECTORALIS
ATQVE DVCALIS ASSESSORI GRAVISSIMO
ET SCABINO LIPSIENSI LONGE ME-
RITISSIMO,

Digitized by Google

PATRONO AC HOSPITI

OMNI, QVA PAR EST, REVERENTIA

COLENDO

HANC SVAM DISSERTATIONEM

IN DEVOTISSIMAE MENTIS

TESSERAM

ſacram facit

ADOLPH GOTTLOB ô FERAL.

Digitized by Google

INter ſerias cogitationes, quae me ab aris Themidis Philureae diſceſſurum occupabant, maxima ſane erat, cui ſpecimen, publica auctoritate edendum inſcriberem, et a cujus maxime celebri nomine levi huic labori gratiam aliquam accerſerem. Verum non diu haeſerunt hae cogitationes, cum illico ab ipſo

ſacrorum noſtrorum Antiſtite, Juſtiniano, de primo Juris Naturalis principio, ſuum cuique eſſe tribuendum, moneri viderer. Hujus principii memor vix curam eam ſecundum illud examinaveram, et cum ipſa aequitas, cum, quam mihi ipſi intus dictabam, lex, imperare videbatur, huic, cujus conſilia me primo formarunt, formatumque confirmarunt, cuique hoc, quicquid in me eſt doctrinae, unice in acceptis fero, laborem iſtum, ceu primum grati

animi

animi proventum conſecrandum eſſe. TE, VIR EXCELLENTISSIME, *cum nomino, illum ſimul praedico ductorem, eum veneror Patronum, cui iſta omnia debeo, et cui proinde ut publicum hoc cultus ac obſervantiae meae monimentum extaret, religio juſſit. Permittas igitur obſecro, ut Celeberrimum Nomen Tuum tenuem hanc commendet opellam, Tibique tanquam obſtrictiſſimae voluntatis ſignum offeratur. Cum enim*

ipſe me tot tantisque non tam ornaveris, quam obrueris beneficiis, quibus vix unquam paria mea eſſe poterunt officia, voluntas Tibi quaeſo placeat, donec forſan aliquando melior fortuna, aut ipſe Tu, quod precibus humillimis a Te efflagito, occaſionem obſequia mea et officia Tibi probandi, ſuppeditabis. Hoc enim deſiderio animi eo magis flagro, quo major eſt pudor, in quem tot beneficia Tua, quibus parum me dignum novi, me hactenus con-

conjecerunt. Aſt ne in latiſſimum eorum campum exſpatietur Oratio mea, tum Tua perſpecta ſatis modeſtia, quam hac ratione offendere nefas puto, tum ipſa eorum magnitudo, in qua praedicanda me verba deficient, obſtat. Quae interim ſola grato relicta ſunt animo, preces atque vota jam ardentiſſime fundo. Faxit Numen ter optimum maximum, ut quae hactenus ſalus Te una cum ſplendidiſſima Familia ſalvum ſtitit ſoſpitem-

que,

Digitized by Google

que, non ſolum ſit perpetua, ſed in commune etiam Tuorum ac Reipublicae emolumentum magis magisque adhuc effloreſcat, Tuque adeo et Ipſe propriis Tibi virtutibus longum frui poſſis. De reliquo ut patrocinium tuum plane ſingulare, quo praeſentem tam egregie et ultra meritum fovi-ſti, abſenti etiam benigne ſerves, ea qua decet obſervantia rogo.

Digitized by Google

PROLEGOMENA.

I.

VErbum: IMPVTARE, in legibus civilibus paſſim, vario tamen ſignificatu, occurrit. In materia ſucceſſionum denotat computationem in quartam, vel aliam portionem heredi relinquendam. Aſt de hac imputatione nobis hic ſermo non eſt. Adeat qui eam explicatam legere cupit, integrum tractatum JOH. ANTON. MANGILII de *imputationibus* et *detractionibus, in Legitima, Trebellianica, et aliis quartis contingentibus bonorum hereditariorum.* Imputari etiam dicitur in Falcidiam, quod Falcidiam patitur, ut eſt in *L. 1. §. 8. ff. ad L. Falcid.* Sed et imputare eſt ſupputare, et in rationes referre, ut vox accipitur in *L. 1. §. 4. ff. d. tut. et rat. diſtrah.* In hac noſtra tractatione verbum iſtud nihil aliud ſignificabit, quam aſſignare vel attribuere alicui, ut auctori, factum aliquod, indeque adjudicare eidem effectus, poenam, vel aliud damnum tale factum ſequi ſolitum. Prout illud uſurpatur in *§. 9. J. de Societ. §. 4. J. de fidej. §. 3. J. quib. mod. re contr.*

Varius verbi imputare ſignificatus.

obl. L. 23. ff. de min. 25. ann. L. 27. §. 2. ff. de recept. qui arbitr. recep. L. 14. ff. de adminiſtr. et peric. tutor. L. 1. §. 6. 11. ff. de magiſtr. conv. L. 1. §. 1. Si menſ. falſ. mod. dix. et locis aliis longe plurimis.

II.

Fundamentum imputationis ex J. N. repetitum.

Fundamentum hujus imputationis, ſive rationem, propter quam culpa alicujus facti alicui imputanda eſt, vel non imputanda, repetere lubet ex juris naturae principiis, ſecundum quae id dependet ex decreto voluntatis, ita ſcilicet, ut culpa ejus, quod ex voluntate alicujus factum eſt, non vero id quod fieri, aut non fieri, in facultate aut voluntate alicujus non ſtetit, imputari poſſit. Vnde fluit, quod ab hac imputatione immunis ſit furioſus, cum ejus nulla voluntas ſit, *L. 40. ff. de R. J.* nec intelligat quid agat, *§. 8. J. de inutil. Stipul.* atque adeo talem fati infelicitas excuſet. *L. 12. ff. ad Leg. Corn. de Sic.* Mente captus. *a. L. 25. C. de Nupt.* Infans *L. 20. ff. d. furt.* alii quoque, qui rationis uſum non habent. Nec imputari poſſunt actiones mere naturales, nec eae, quae ex ignorantia, et errore juſto et probabili, coactione, metuve proficiſcuntur. Quae omnia latius deducit SAM. PVFENDORFIVS *Jur. Nat. et Gent. L. 1. c. 5. §. 5. ſqq.*

III.

Diviſio factorum et inſtituti ratio.

Facta, quae ita imputantur ſunt vel affirmativa ſive commiſſionis, vel negativa ſive omiſſionis. Nam et eum, qui

Digitized by Google

qui non facit, qnod facere debet, videri facere adverſus ea, inquit *L. 121. ff. d. R. J.* et regulariter factum, non niſi proprium cuique imputatur, aliena tamen etiam in jure noſtro quandoque imputari, idque etiam circa delicta, animus eſt hac diſſertatione commonſtrare. In qua hac methodo pergemus, ut prima quidem ſectione, theoretice naturam hujus imputationis, in altera vero caſus aliquos practicos, in quibus obviam erunt exempla ejus, proponamus.

SECTIO I.
THEORETICA.

I.

Illi, quibus aliquid juſte imputatur, ſunt perſonae doli vel culpae capaces. In quas enim neutrum cadit, iis tantum abeſt, ut facti alieni culpa adſcribi poſſit, ut ne proprii quidem facti rei agi queant, ut in Prolegomenis a me jam monitum et oſtenſum fuit. Ex eadem ratione SERENISSIMO NOSTRO e re viſum fuit, in *Ordinat. Proceſſ. Elect. Sax. Recogn. ad Tit. IX.* §. *4.* pupillis et minoribus, abſentibus pariter et furioſis, reſtitutionem in integrum contra fatalia, tutoribus et curatoribus etiam nondum excuſſis, quamvis et negotium adverſus aeque privilegiatos ſit, largiri. Idque adeo ut expenſae, quarum cauſa fuit talis deſertio, non a perſonis privilegiatis ſed a tutore, aut curatore, aut eorum actore, ab eo puta, quem aequum eſt, culpae ſuae poenam luere, ſint exigendae, et ex ſuis, non eorum, quos curat, bonis exſolvendae. Et *Subjectum, cui facta aliena imputantur.*

 licet

Digitized by Google

licet aliquando, ut beneficiorum modus ſit, reſtitutionis in integrum privilegium amittant ejusmodi perſonae, quale quid conſtitutum eſt ſaluberrime *eadem Ordinat. Proceſſ. Sax. Recogn. Tit. XX. §. 4.* Es ſoll aber ſolches, tertiae nempe dilationis conceſſio, bey Verluſt des beneficii reſtitutionis in integrum geſchehen, merito tamen iisdem reſervato ad tutores, curatores, adminiſtratores, actores et advocatos regreſſu eſt proſpectum, ut ſuperſit adhuc remedium ad indemnitatem facti alieni conſequendam.

II.

In quantum valeat regula, cuique ſuum ſolummodo factum imputari.

Quamvis enim regulariter ſuum ſolummodo cuilibet factum obeſſe debeat, *L. 155. ff. de R. J.* neque nocere alterius factum ei, qui nihil fecit *L. 5. §. 5. d. nov. oper. nunciat.* idque potiſſimum in delictis obtineat, cum peccata ſuos teneant auctores, *L. 22. C. d. poen. L. 12. C. d. acquir. vel retin. poſſ.* nec conditio nil delinquentis, per alium deterior fieri queat, *L. 2. ff. quod vi aut clam*, quae diſpoſitio ex aſſe convenit cum ipſo jure divino *Deuter. XXIV. v. 16.* ubi cautum legitur: Parentes non pro liberis, neque liberi pro parentibus, ſed quilibet ob proprium morietur peccatum; cui jungas *Ezech. XVIII. v. 20.* Anima, quae peccaverit, ipſa morietur: Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii: Juſtitia juſti ſuper eum erit, et impietas impii erit ſuper eum. Quibus verbis eleganter etiam reſpondere videntur integri tituli Codicis: *Ne filius pro patre, vel pater pro filio emancipato, vel libertus pro patrono, vel ſervus pro domino*

mino. item: *Ne uxor pro marito, vel maritus pro uxore, vel mater pro filio conveniatur.* Verumtamen leges quandoque culpam facti alieni, tertio, tum in negotiis civilibus, tum in delictis adſcribunt. Sic namque contutoris factum collegae imputatur, quando ſcilicet et potuit et debuit ſuſpectum facere collegam. *L. 14. ff. de adminiſtr. et peric. tutor.* Pari modo magiſtratibus, ſi moniti fuerint, neque vero dederint tutorem, damnum, quod impuberes medio tempore paſſi ſunt, imputari, colligitur ex *L. 1. §. 6. ff. de Magiſtr. conv.* adde Diſſertationem nuper admodum ſub eodem, quo ipſe utor, Praeſidio, in Alma noſtra habitam: *De Actione Tutelae adverſus Magiſtratus c. 1. §. 8.*

III.

De imputatione in ſpecie ex delictis alienis, a qua nec immunis eſt univerſitas.

Mittimus autem eam imputationem, quae in tertio ratione negotiorum civilium obtinet; eam potius, quae ex delictis alienis reſultat, jam conſideraturi. Ubi in limine ſtatim monemus, non perſonis ſolum ſingulis, ſed et quandoque univerſitatibus integris, quas myſticas perſonas JCti appellare amant, facta aliena imputari. Ita univerſitati nocet factum ſyndici, tenenturque de Jure Gentium ſocii et ſubditi civitatis, eorum etiam bona, pro eo, quod praeſtare debebat civitas, vel ejus caput, indeque juſtitiam juris prehenſionis hominum, pignorationis, et repreſſaliarum deſcendere, demonſtrat HVGO GROT. *de J. B. et P. Lib. III. c. 2. §. 2. ſeqq.* Huc pariter ponderoſa ſpectant divini Numinis verba *Numer. XXXV. v. 33. 34. Ne polluatis terram habitationis veſtrae, quae inſontium cruore maculatur: nec aliter expiari poteſt, niſi per*

per ejus ſanguinem, qui alterius ſanguinem fuderit. Et inprimis notari meretur ſolennis proceſſus populo Iſraëlitico praeſcriptus, ad expiandam terram, in caſu repertae caedis, cujus auctor detegi non poterat. *Deuteron. c. XXI.* Quae omnia anſam dediſſe videntur *Canoni 17. diſt. 45.* ubi uno peccante, iram Dei ſuper omnem populum venire, nec eſſe bonum uni parcere et omnes in diſcrimen adducere, ex uno peccatore, populum, et uno fornicante, vel aliud quoddam ſcelus committente, plebem univerſam pollui dicitur. Quemadmodum etiam illi, qui hiſtoriarum monumenta vel a limine ſalutavit, urbes, civitates, provinciae, quibus ob alienum flagitium triſte illatum fuit bellum vel infortunium, incognitae eſſe nequeunt.

IV.

De objecto Imputationis.

Objectum imputationis facta conſtituunt, quae ſunt vel propria vel aliena, utraque licita vel illicita, haec denique culpoſa et doloſa. Omiſſis factis propriis, aliena, eaque illicita culpoſa ſive doloſa ſint, conſideranda veniunt. Duplicis vero indolis utraque eſſe, altera nimirum quae per commiſſionem, altera quae per omiſſionem fiunt, ſupra jam in *Proleg.* §. *3.* dictum fuit; Quae poſteriora in ſpecie ſint, late recenſet ANDREAS BERTONVS *Protonotarius Apoſtolicus*, in ſingulari *Tractatu* de *Negligentiis* et *Omiſſionibus* Ferrariae anno 1704. edito, ubi in parte prima, quae XXV. Articulis abſolvitur, negligentiam in genere conſiderat, in parte vero ſecunda, ordine alphabetico, perſonarum diverſarum negligentias articulis XXXII. examinat. Ita nocet quandoque Reo factum

factum aliorum delicti complicum, qualis caſus eſt in Aſſaſſinio et in homicidio proditorio, id eſt, in homine ad caedem deſtinato a pluribus deſuper conſpirantibus commiſſo, ubi, uno lethaliter vulnerante, etiam reliqui, tale quid manu ſua non operati, capite plectuntur in *artic. criminal. 148.* CARPZOV. *Prax. Criminal. Qu. 25. n. 11.* Nonnunquam quoque nocet factum, quod culpa laeſi vel tertii accidit; ſic ex. gr. ille, qui vulnus inflixit, non quidem per ſe lethale, ſed ex quo tamen ſecuta mors eſt, ex cura vel a medico, vel a vulnerato neglecta, poena non quidem ordinaria capitali, ſed arbitraria, aſt intuitu triſtis eventus graviori tamen, quam ea fuiſſet, hoc non ſecuto, punitur. Idque nulla ex alia ratione, quam quod danti operam rei illicitae, quod ſecutum ex eo actu, etiam praeter ejus intentionem, imputetur; cum ſufficiat cauſam mali praebuiſſe. *L. 6. C. ad L. Jul. de vi publ.* cujus rei exempla reperire eſt apud CARPZ. *Prax. Crimin. Qu. 26. n. 17.* Imo quodammodo etiam facta brutorum imputantur hominibus, prout hac de re integri in Inſtitutis et Digeſtis proditi tituli leguntur: v. g. *ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur.*

V.

Cauſa hujus imputationis, eaque efficiens remota, ſine dubio lex eſt. Quemadmodum autem lex eſt vel divina, quae in naturalem, et revelatam, vel humana, quae in domeſticam, et receptam diſtinguitur, ita in ſingulis hiſce legibus imputationem circa facta aliena illicita obſervamus. Ex Juris Naturae praeceptis delicta aliena *Cauſa efficiens Imputationis remota.*

Digitized by Google

na imputari, demonſtrat SAM. PVFENDORFFIVS *de Jur. Nat. & Gent. Lib.I.cap.5.§.14.* Divinum etiam Numen ſuam ſatis clare voluntatem paſſim, inprimis ratione paſtoris non ſatis ſalutem animarum ſibi concreditarum curae cordique habentis, *Ezech. Cap.3. verſ. 17. 18.* revelavit. His et leges civiles egregie ubique reſpondere, infra pluribus exemplis aeque ac diſpoſitionibus ex jure recepto et jure provinciali patrio demonſtrabimus. Quo praecipue ſpectat MANDATVM POTENTISSIMI NOSTRI *contra duella de anno 1712. §.33. 49. 50.* ubi iis, qui provocationes et duella aliorum ſcientes, aut ſpectantes non denunciant, gravis carceris poena dictitatur.

VI.

Cauſa efficiens proxima, concurſus circa actiones alienas.

Cauſa efficiens proxima, concurſus, ſi non phyſicus, tamen moralis, circa actiones alienas eſt, diſpeſciturque in poſitivum, ſive eum, qui in committendo, et negativum, qui in omittendo conſiſtere ſolet. Prior eſt in caſibus, ubi quis alienas actiones illicitas adjuvat, jubet, iisdem conſentit, receptum agentibus praeſtat, conſilium ſuppeditat, laudat, aut ſaltem de lucro improborum hominum participat. Ad alteram vero claſſem referuntur, qui non vetant, non diſſuadent, non impediunt ſiniſtra conſilia, cum tamen haec omnia facere teneantur. HVG. GROTIVS *de Jur. Bell. et Pac. Lib.II. cap.17. §.6.* SAM. PVFENDORFIVS *de Jur. nat. et Gent. Lib. I. cap.5.* Illuſtr. THOMASIVS *in Jurisprud. Divin. Lib. I. cap.1. num.67.* quae hiſce verſibus a Moraliſtis includuntur:

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

VII.

VII.

Caeterum poteſt quis concurrere, vel ante factum ab alio patrandum, vel in facto, vel denique poſt factum. I.) Ad primam claſſem referendi ſunt, qui, quod agunt, non quidem illicite, inconſiderate tamen agunt, adeoque occaſionem delinquendi ſuppeditant. Inconſiderate agentium exemplum praebet *L.14. §. fin. ff. de re milit.* ubi grave crimen, quod miles arma alienando committit, cuſtodi armorum imputatur, ſi ſcilicet hic arma militi commiſit non ſuo tempore. Pari modo tonſori imputandum eſſe, ſi ibi tondebat, ubi ex conſuetudine pila ludebatur, vel ubi tranſitus erat frequens, et percuſſa ab alio pila in tonſoris manus dejiciebatur, ut ſic ſervi, quem radebat, gula ſit praeciſa, adjecto cultello, inquit *L. 11. pr. ff. ad L. Aquil.* Quo ēt ſpectat elegans monitum VLPIANI *L. 4. §. 2. ff. de offic. Proconſ.* quod proficiſci in provinciam ſine uxore melius quidem ſit, ſed et cum uxore poſſit, dummodo ſciat, ſenatum, ſi quid uxores eorum, qui ad officia proficiſcuntur, deliquerint, ab ipſis maritis rationes et vindictam exacturum. Huc et referri poterunt, qui in eligenda perſona, per quam ſua negotia tractent, imprudentius egerunt. Sic omnia facta magiſtri et inſtitoris praeſtat ille, qui eum praepoſuit, atque adeo et delictorum magiſtri aut exercitoris fit particeps is, qui navem vel tabernam exercet, eorum nempe, quae in officio committit, malaeque ſuae electionis merito praejudicium patitur, ut utamur verbis *Leg. 12. C. de acquir. et retin. poſſeſſ.* confer celeberr. DN. D. BARTHII *Diſſert. de magiſtr. nav. cap. 3. §. 20. ſeq.* ſolita ἀκριβείᾳ conſcriptam.

Modi quibus circa actiones alienas illicitas ante patrationem concurritur.

Digitized by Google

II.) Concurrit etiam, qui conſentit in facinus alterius, praeſertim ſi id impedire officii ratione debebat. Inde eſt, quod in crimine infanticidii eadem poena, quae in ipſum delinquentem, meretriculam puta, ſuo facto necantem puerum ſtatuta, impraegnatorem quoque maneat, ſi infanticidii ſuaſor ſcorto fuerit. CARPZOV. *Prax. Crimin. qu. 9. num. 32.* quod ſcilicet, ceu parens perſuadendo concurrerit in facinus, quod ex eodem reſpectu impedire officii ſui fuiſſet. III.) Laudando facinus concurritur, et ſemet quis exinde obligatum reddit, e. g. ſi quis ſervo vel filio fugituro, aut furtum facturo, laudator huiusmodi propoſiti exiſtit. Non enim oportet laudando augere malitiam, *L. 1. §. 4. ff. de ſerv. corr.* IV) Et quis negabit, conſilium, idque nudum alienis actionibus accedens obligatorium eſſe. *L. 47. ff. de R. J. c. 62. d. Reg. Jur. in 6.* ſi nimirum ex fraude, dolo et calliditate ortum, alteri damni fuit cauſa; fraudis enim interpretatio. ſemper in jure civili non ex eventu duntaxat, ſed etiam conſilio declaratur. *L. 79. ff. de R. J.* Quamvis tamen non ignorem, abſque eventu quoque ſecuto fraudulentum obligare conſilium. V.) Suaſione etiam concurritur ad factum alienum. Namque, ſi quis dolo malo ſuadet delictum, propter hanc ſolam ſuaſionem aliquem obligari nullum eſt dubium. Exemplum hujus rei *L. 20. C. de furt.* praebet. Hinc VLPIANO etiam perſuadere plus, quam impellere, et ſibi cogere parere videtur, *L. 1. §. 3. ff. de Serv. Corr.* Inſignis hujus rei uſus in gravioribus ſemet exhibet delictis, inprimis circa atrox laeſae Majeſtatis crimen. *L. 5. pr. C. ad Leg. Jul. Maj.* VI.) Verum majoris momenti eſt juſſus ſive mandatum

datum de patrandis delictis, ſiquidem ipſe damnum dat, qui jubet dare *L. 169. ff. de R. J.* Ita non ſolum is injuriarum tenetur, qui fecit injuriam, ſed ille quoque, qui procuravit, ut cui mala pugno percuteretur. *§. 11. J. de Injur. L. 15. §. 8. 10. L. 17. §. 2. ff. eod.* Imo mandantem auſu ſuo, cum et ſibi et mandatario et laeſo damni cauſa ſit, plus delinquere, quam mandatarium delictum patrantem, eleganter deducit Criminaliſtarum pater, PROSPER. FARINAC. *Oper. Criminal. Part. V. Qu. 136. num. 6.* Illuſtre exemplum eſt in aſſaſſinio, ubi aſſaſſinus aeque ac aſſaſſinator caede ſecuta, pari poena afficiuntur, quod etiam in homicidio, latrocinio, incendio obtinet. CARPZ. *Part. I. qu. 19. num. 15. qu. 4. num. 14. qu. 38. num. 54.* Nihil enim intereſt, an occidat, an cauſam mortis praebeat, *L. 3. et 15. ad Leg. Corn. de Sicar. L. 37. ff. ad Leg. Aquil.* VII.) Haec excipiat aſſociatio, in quam unam omnes hactenus recenſitae concurſus ſpecies confluere quaſi videntur, quapropter jure meritoque gravis etiam in talia ſtatuitur delicta poena, quae per iniquam ſocietatem abſolvuntur, quod vis publicae raptuſve crimen ſufficienter probant, in quibus comites, ſodales, vel qui ſequuntur ſaltem, aequale ſupplicium expectandum habent. *L. unic. C. de Rapt. Virgin.* Ita in *artic. Crimin. 148.* ſtatuitur, ob factum homicidium omnes capite plecti debere, qui deſtinatò et conſpirante invicem conſilio (mit vorgeſetzten und vereinigten Willen und Muth iemand bößlich zu ermorden) ad caedem concurrerint, ita ut, uno lethaliter vulnerante, reliqui etiam, qui manu ſua id operati non ſunt, pro homicidis reputentur. CARPZOV. *Prax. Crim. Qu. 25. num. 11.* Socie-

cietatem ſequitur VIII. inſtructio, ſiquis vel viam monſtrat, vel media ipſa ſuppeditat furi, e. g. ferramenta, ſcalas commodando. *L. 54. §. 4. ff. de furt.* aut ſi domum quis ad ſtuprum vel adulterium locaverit. *L. 8. ff. ad Leg. Jul. de Adulter. Conſt. Elect. Sax. P. IV. Conſt. 40.* Et inprimis *novella Conſtitutio POTENTISSIMI contra fures et raptores de dato 27. Julii 1719.* Ubi illi, qui zu Ausübung Rauberey und Diebſtahls Vorſchub thun und Anſchläge geben, wenn ſie gleich von dem Diebſtahl directo ſelbſten nicht mit participiret, ingleichen diejenigen, ſo ihnen Brecheiſen, Stangen, Nachſchlüſſel, Dietriche, und andere Diebs Inſtrumente, wiſſentlich und vorſetzlich verfertigen, auf gleichmäßig geſchwinde Art, eben die Straffe, wie die Delinquenten ſelbſt, auszuſtehen haben. Sic etiam in *artic. Crim. 111.* diſponitur, quod domus ſcienter commodata ad falſam monetam cudendam, ob hunc concurſum confiſcari debeat. Quae cum ita ſint, multo magis illi furtum aliudve delictum imputabitur, qui tandem alterum ad furtum vel aliud delictum patrandum vi metuque compellit.

VIII.

Modi quibus in ipſa delicti patratione concurritur.

Deinde in ipſa delicti patratione concurrunt, qui opem alterius delicto praeſtant, quorum poena fere eadem eſt, ac ipſius principalis. conf. *P. IV. Conſt. El. 39. 40.* Attulimus jam ſupra huc etiam pertinentia de ſocietate inter aſſaſſinos vel homicidas inita, ubi uno lethaliter vulnerante, reliqui tamen ſua etiam aggreſſione ad facinus concurrunt. Aliud exemplum in diffidationis crimine ſemet exhibet, ſcilicet qui literas diffidatorias

offert

offert et affigit, nec non quicunque in furto deliberata mente reale auxilium et cauſam furti immediatam praebet, ordinario ſupplicio tenetur. Quo et referendi ſunt excubitores, qui interea, dum ſocii, cum quibus ita pacti ſunt, furtum committunt, excubias agunt ſi delicto perfecto ex rebus ſurreptis tantum participaverint, quantum ad poenam mortis irrogandam ſufficit, non minus ac ſocii puniuntur laqueo, etiamſi in ipſo furto manum non admoverint. *Conſt. Elect. Sax. 39. P. IV.*

IX.

Modi quibus poſt patrationem concurritur ad factum alienum illicitum.

Tandem etiam concurritur poſt factum, quod fit inprimis I) ratihabendo aliena facta; ſic ſi univerſitas delictum per homines ſingulos commiſſum ratihabuerit, velut cum aliqua univerſitatis membra coitione facta per vim expulerint quempiam ex caſtro, et univerſitas illud ſibi retineat, mandaſſe cenſetur. Ratihabitio enim in delictis mandato aequiparatur, *L. fin. C. ad. SCt. Maced.* et iſta patientia Univerſitatis habetur pro mandato *a. L. 18. ff. mand.* vid. NIC. LOSSAEI *Pharos Univerſitatum Part. IV. Cap. I. num. 22.* II.) De lucro ex alterius facinore capto participando; namque factum alterius eo ipſo approbari, vix dubium eſſe poteſt. Apprime huc quadrare videntur verba Scabin. Lipſ. in caſu robariae m. April. 1725. an die Gerichte zu S. quae cum et illuſtrent theſin de aſſociatione et excubiis, huc tranſcribere operae pretium eſſe duxi: Dieweil das gerügte Verbrechen in einen mit zuſammen rottirter Mannſchafft geſchehenen nächtlichen gewaltſamen Einfall, und hiernächſt in einer Gewaltthätigen Beraubung beſtehet, wobey nach Befinden

Digitized by Google

den auch wieder diejenigen, welche bey der letztern Hand ſelbſt nicht angelegt, und die, ſo Wache dabey gehalten, auf eine Todes-Straffe erkannt werden mag, wenn zumahl ſelbige, die vorgehabte Violentz mit abreden helffen, oder auch nach derer Ausübung von den Raube wiſſentlich participiret. III.) Recipiendo, de quo *L. 1. C. de his qui latron. occult. L. 4. C. de Serv. fugit. L. 1. C. de deſert.* Sächſ. LR. *L. 2. a. 13.* nec non *Mandat.* wegen derer Land-Beſchädiger und Feuers-Brünſte *de anno 1686.* §. Die aber wiſſentlich *et Mandat. contra fures et rapt. de anno 1719.* expreſſe diſponunt.

X.

Concurſus per omiſſionem.

Conſiderato itaque concurſu circa alienas actiones in agendo ſeu committendo conſiſtente, ad alteram hujus membri partem nunc progredimur, demonſtraturi concurſum qui ratione earundem actionum per omiſſionem fieri ſolet. Eſt autem omiſſio negligentia ejus, quod fieri et poteſt et debet. Cum enim omittere non poteſt dici is, qui facultate faciendi deſtituitur, ita nec poteſt dici omiſiſſe, qui ut aliquid faciat, nulla lege obligatus eſt. *Cap. 41. d. R. J. in 6. L. 121. ff. d. R. J.* Ex duplici autem vinculo haecce proficiſcitur obligatio, ſcilicet vel ex charitatis, vel ex juſtitiae regulis, ad illas Servatoris *Matth. XXV. v. 42.* in extremo die querelae ſpectabunt. Charitatis enim et humanitatis lege, immo poſitiva Servatoris ſanctiſſimi voluntate obſtringimur omnes, ad benefaciendum proximo, licet eorum praeceptorum violatio, nihil ad rempublicam, aut ejus adminiſtratores faciat, quibus ſecuritatis et tranquillitatis publicae cuſtodia externa,

Digitized by Google

terna, ſatis negotii faceſſit. Sed ubi id omittimus, quod leges omitti nolunt, et ex juſtitiae humanae praeceptis ea ratione negligentes culpam contrahimus, adeſt ejusmodi facti infecti vindicatio, etiamſi circa facta aliena hoc modo peccatum eſt. Iſta igitur, de qua loquimur, omiſſio, in tres potiſſimum actus a Dd. communiter diſpeſci ſolet, per tria haecce verba: mutus, non obſtans, non manifeſtans ex verſiculis ſupra allegatis. Vid: ANDR. BERTONVM *Tract. de negligent. et omiſſion.*

XI.

Concurrere ergo omittendo quis cenſetur, et quidem prima ratione, quando damnum proximi clamando avertere poteſt, idque facere negligit, ſi v. g. fur bona alterius contrectat, hocque videns vicinorum quiſpiam non clamat, cave furem! Secundo modo, ſi non obſtat ſive prohibet, ille nempe cui prohibendi adeoque avertendi mali jus eſt et poteſtas. Facientis enim culpam habet, qui quod poteſt corrigere, negligit emendare. Huc caſus in *L. 7. ff. qui ſine manumiſſ. ad libert.* expreſſus referri debet. Vnde Dd. communiter inferunt, lenonem jam eum eſſe, qui ſciens patitur, filiam aut uxorem libidinoſe tractari. CARPZ. *Pr. Crim. Part. II. Qu. 71.* Dominus, ſi ſervus ſciente ipſo et non prohibente homicidium commiſit, ipſe videtur occidiſſe. *L. 2. ff. de nox. act. L. 4. C. ibid.* Falſarii poenam meretur is, qui cum prohibere tale quid poſſet, non prohibuit. *L. 9. §. 1. ff. ad L. Corn. de falſis.* Supereſt denique non manifeſtans, cujus rei graviſſimum exemplum in

Concurſus ad alterius facinus omittendo.

C cri-

crimine laeſae Majeſtatis, tum divinae, tum humanae deprehendimus, ergo, qui blasphemiam audiunt, nec detegunt, ipſo jure poenae ſubjecti ſunt, quo ſpectant verba *Rec. Imp. de anno 1548. tit.* Von Gotteslåſtern *l. §. 4. ſeqq.* Welcher aber obgemelte Låſterung hören, oder in ſeinen Hauß wißentlich gedulten, darzu ſtille ſchweigen, und ſolches der Obrigkeit des Ends nicht anzeigen, noch eröffnen würde, derſelbig ſoll zu dem, daß er ſich damit gegen GOtt ſchwehrlich verſchuldet, von ſeiner Obrigkeit, nach Geſtalt der Sachen geſtraft werden. Cum quo conſpirat *Ordinat. Polit. Sax. de anno 1612.* §. So laßen, nec non *de anno 1661. tit. 3.* §. 2. Haecque pariter in crimine perduellionis obtinere rigoroſa *L. 5. C. ad L. Jul. Maj.* ſatis demonſtrat. Cum quibus POTENTISSIMI NOSTRI *Mandatum de anno 1700.* adverſus deſertores convenit, ubi nimirum illis, qui ejusmodi perjuros nôn manifeſtant, mulcta 40. thalerorum dictitatur, aut, ut ipſi nomen militiae dent, injungitur. *conf. poena gravior de d. 2. Sept. 1709.* In hunc cenſum porro crimen haereſeos *ex L. 4. §. 7.* nec non *L. 16. §. 1. C. de haeret.* et parricidii *L. 6. ff. ad L. Pompej. de Parricid. §. 6. J. de publ. Jud. vid.* JO. BAPTISTA COSTA *de facti ſcientia et ignorantia Inſpect. 68. n. 10.* venire ſolent. Inter omnia autem hactenus recenſita exempla illud maxime eminet, quando delatores publici ſive Irenarchae, qui diſciplinae publicae et corrigendis moribus praefecti erant, crimina obſervata non denunciabant. *L. 18. §. 7. ff. de muner. et honor. L. un. C. de Irenarch.*

XII. Eſt

XII.

Eſt adeo concurſus imputationis cauſa, ſi aequitatem inſpicimus, licet negari nequeat, leges civiles hic aliquando eſſe duriores. Exiſtit et in vulgus notus eſt caſus, ubi ex ſola legis diſpoſitione abſque ullo concurſu alienum crimen alicui nocet, puta, in perduellionis delicto. Hic enim Imperatoria lenitas filiis nil niſi vitam concedit, ceterum a materna vel avita hereditate et ſucceſſione habentur alieni, ſunt perpetuo egentes, pauperes, infamia eos paterna ſemper comitatur, adeo, ut perpetua egeſtate ſordentibus ſit mors ſolatium et vita ſupplicium *L. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Majeſt.* quae verba etiam ipſi *Aureae Bullae* Tit. XXIV. inſerta leguntur. Num autem talis rigor cum jure naturali conveniat, late deducit HVG. GROTIVS *de J. B. et P. cap. XXI. §. 13.* SAM. PVFENDORFFIVS *Lib. VIII. cap. 3. §. 32. 33.* VLRICVS HVBERVS *de Jure civitatis Lib. III. Sect. II. c. 5. num. 15. ſeqq.* nec non Illuſtris CHRISTIANI THOMASII *notae ad eundem locum* declarant.

Caſus ubi etiam ſine concurſu ad crimen alienum imputatio locum habet.

XIII.

Effectum denique hujus imputationis aut poenam, aut damni reſtitutionem conſtituimus. Et quamvis primo aſpectu haud levis injuria ſubeſſe videatur, quando poenam vel damnum, quod ex facinore vel culpa tertii ortum eſt, alteri reſarciendum injungimus; re tamen penitius inſpecta, ſe ita non habere in ſuperiori §. VI. quo de concurſu, tanquam fundamento omnis

Effectus imputationis.

C 2 impu-

imputationis, egimus, oſtenſum fuit. Adduximus eum in finem *L. 11. ff. ad L. Aquil.* quippe quae variis propoſitis caſibus, ubi plures ad unius delictum vel culpam concurrerunt, ita tandem pronuntiat: quod alius praeſtitit, alium non relevat, cum ſit poena. Immo contingit etiam, puniri aliquem ob alterius factum, qui, ſi absque reſpectu ad illud factum, ejus actionem contempleris, a poena legali immunis habendus eſſet. Namque quale crimen eſt, vidiſſe tertium agentem, immo ſiluiſſe, quod ad nos nihil pertinere videtur. Attamen ubi id accidit in facto, quod leges civiles et ſtatus reipublicae inprimis detegi volunt, gravis poena, pro rerum circumſtantiis, ſubſequitur, uti in crimine deſertionis, blaſphemiae, duelli, et reliquis obſervavimus. Quandoque imputatio facti alieni ſuperveniens ad factum in ſe etiam poenam merens, hanc aggravat: Ita Aſſaſſinanator poenam capitis luit, accedente ipſo facto Aſſaſſinii, qui poenam itidem, aſt mitiorem, ſenſiſſet, ob ſolum pactum, quod de occidendo iniit.

SECTIO II.

CASVS SPECIALES PRACTICOS SISTENS.

§. I.

Tranſitio ad partem practicam.

PArtem theoreticam, quae praeſentem materiam, ex ipſis Legum fontibus hauſtam, breviter tradidit, practica excipere jam debet, Caſus quosdam circa hanc rem

rem elegantiores proponens, hactenusque explicata, quantum per vires licuit, illuſtrans. Initium ſtatim faciat famoſiſſimum Aſſaſſinii Crimen; in quo Aſſasſinator, qui alterum promiſſa mecede conduxit ad caedem tertii, licet ipſe caedi non adfuerit, una cum ipſo Aſſaſſino conducto qui delictum patravit, pari poena tenetur. Eam autem Rotam eſſe ex conſuetudine regionis noſtrae probat, et praejudiciis pluribus confirmat CARPZ. *Praxi Crim. P. I. quaeſt. 19. n. 19.* et extendit poenam mortis ad proxenetam quoque, per quem aſſaſſinus conductus eſt, ANTON. CONCIOLVS *Reſolut. Crimin. verb. Aſſaſſinium Reſol. III.* Rationem ſi quaeris, ea haec erit, quod iſti, ceu ſocii criminis, per mandatum, mercedis pollicitationem, et operam in conducendo aſſaſſino collocatam, ad homicidium ipſum concurrerunt, indeque hoc, quod ſecutum, illis ſimul imputatur, quibus ipſis eorum obviam imus objectioni, qui ex proprio potius facto ſolo, aſſaſſinatorem rota puniri cenſere poſſent, ita enim ſi ſemet res haberet, conſequeretur ex ſolo jam pacto de committenda nece, talem teneri ad poenam ordinariam, quod vero falſum, ſed conſummationem ſecutam, aut ad actum effectui proximum deventum eſſe oportet, ſecundum CARPZ. *dict. loc. num. 27.* Illuſtrabit haec omnia caſus, quem recenſet CASP. HENRIC. HORNIVS *in Reſponſ. Claſſ. XV. Reſp. 36.* in quo Facultas Jurid. Witteb. in Sentent. pronunciata ad requiſitionem derer Gerichte zu Giebigenſtein in Aug. 1706. poenam rotae Mariae D. matri, et Magdalenae D. filiae, gladii poenam dictarunt, quod mater filiae, ut per milites, dono his dato, trucidari curaret maritum, conſuluerat. Ambae cum tertio proxeneta de executione

Caſus 1) de Aſſaſſinio, ejusque imputatione.

Digitized by Google

conſilii deliberaverant, mater ab hoc eadem petierat, filia cum proxeneta de mercede 30. thalerorum, adſtante matre, convenerat, conſenſuque matris 10. thaleros per fratrem aſſaſſino transmiſerat. Ipſa etiam mater, poſt patratum facinus, 3. thaleros de filiae pecunia exſolverat. Et ſtatuerunt JCti, nihil prodeſſe matri, quod de ſuo nec mercedem promiſerit, nec ſolverit, quod neutra cum ipſo aſſaſſino collocuta fuerit, nec et quod Martinus R. ſex vulneribus graviter ſauciatus, ſuperſtes permanſerat, nec quod de ipſius aſſaſſini forte fugitivi confeſſione nondum conſtaret. Prodeſſe tamen filiae ad mitigandum genus ſupplicii viſum eſt, quod a marito, cui invita nupſerat, male habita, minor adhuc a matre nequiter ſeducta fuerit. Placuit ex rationibus decidendi ea, quae ſequuntur, ideo huc transſcribere, plures quia ſpecies concurſus ſupra recenſitos ſiſtunt. Ita ſcilicet inquiunt: Alldieweil aber, was Marien D. betrifft, an dem, daß ſelbige, ohngeachtet ſie, daß der von ihr ſelbſt angeſtellte Meuchel-Mord, an ihren Schwieger-Sohn verübet werden ſollen, auch das Geld, ſo der gedungene Meuchel-Mörder bekommen, zahlen hören, und daß ihre Tochter es dem Bruder zugeſtellet, gewuſt, ſolches auch mit ihrer Bewilligung geſchehen, und der Sohn das Geld zu ſich genommen, hingegen aber ſolches dem Schwieger-Sohn nicht entdeckt, noch ihn gewarnet, oder die böſe That auf andere Weiſe gehindert, welches ſie denn billig thun ſollen, auch wohl thun können, derjenige, welcher ermordet worden, ihr Eydam iſt, und ſie ihre Tochter zu ihrer böſen That verführet, auch in den gefaßeten Vorſatze ihren Mann hinrichten zu laſſen, immer geſtärcket, ferner ſolche allerdings pro vera aſſaſſinatrice

Digitized by Google

zu achten. Quibus addi meretur, quod et juſtam reputaverit ea ſententia petitionem laeſi, qua ſatisfactionem civilem, et ab aſſaſſinatrice, et ab aſſaſſina, ut et amiſſionem dotis popoſcerat.

II.

Caſus 2) de Rapina ejusque imputatione.

Poenam rapinae capitalem eſſe, eamque extendi jure patrio ad gladium cum impoſitione cadaveris in rotam, idque etiam licet res ablata pretium quinque ſolidorum non attingat, docet *artic. crimin. 126.* CARPZ. *Pr. Crim. P. II. qu. 90. num. 13.* et eadem poena ordinaria ipſos etiam criminis ſocios manebit, qui ſcilicet concurrerunt per pactum ſocietatis ante facinus invicem initae, licet in patratione ipſa a reliquis ſociis facta, nec vim adhibuerint, nec auferendo aut eripiendo, rebus manus admoverint, dummodo approbaverint vel praeſentia ſua et aſpectu, et poſt patrationem ſceleris, vis adhibitae probe conſcii, participaverint de rebus vi ablatis; Ita ut iſtis ſimul imputetur conſummatio delicti per ſocios expedita. Exemplum aptum praebebit Sententia *Scabinorum Lipſienſium* ad requiſitionem Praefecti Dreſdenſis contra Samuel Schickeln lata, M. Jun. 1713. in qua Reo dictata poena gladii cum impoſitione rotae, cum confeſſus eſſet, vim in aedibus paſtoris *Tharandenſis*, quibusdam perſonis, ſe ſpectante factam, ſibique a conſortibus criminis praedictum fuiſſe, vi ſe rapturos res, ſi fraude non poſſent, ſeque poſtmodum de rebus captis participaſſe, licet negaret, ſe ipſum ullam vim intuliſſe. Extat ea ſententia in Lipstullians Leben und Ubelthaten, *anno 1719.* publicatis:

Caſus 3) de ſacrilegio ejusque imputatione.

tis: Et illi, qui ipſe ſacrilegium non executus eſt, at enimvero dum alii id fecerunt, egit excubias, quas ſe praeſtiturum eſſe pactus erat cum ſociis, poenam gladii cum impoſitione rotae dictandam eſſe probat CARPZ. *Prax. Crim. quaeſt. 89. n. 48.* itaque pronunciaſſe Scab. Lipſ. commiſſariis, verſus Dreſdam *M. Octobr. 1714. contra* W. H. Schencken, docet ſententia ſimul extans in citata relatione Tullianorum facinorum; idemque contigit in Cauſa J. D. Wagners vulgo Mauſe Davids, cujus triſtes exuviae rotae impoſitae, ante urbem noſtram adhuc ſuperſunt, ad Praetorium Lipſ. M. April. 1721.

III.

Caſus 4) de factis officialium Principi imputandis 1.) licitis

An et quatenus Princeps factis miniſtrorum et officialium ſuorum ita teneatur, ut haec eidem noceant, quaeritur? Ex facto licito miniſtri Principem obligari nemo facile in dubium vocabit. Namque miniſtri vice Principum ſunt, eorumque imago et umbra, proinde ea, quae acta geſtaque ſunt a procuratore Caeſaris ſic ab eo comprobantur, atque ſi a Caeſare geſta ſint, et factum miniſtri eſt factum Principis *L. 1: ff. de offic. Proc. Caeſ. cap. 72. de R. J. X. in 6to L. 71. §. 5. ff. de acquir. hered.* Altioris autem videtur indaginis, num etiam negligentia circa demandatum officium admiſſa, Principi noceat?

2) illicitis.

Objici poſſet, quod Princeps in juſta ignorantia doli vel culpae maleferiati officialis verſari praeſumatur; huc accedere, quod damnum ex dolo vel culpa hujusmodi miniſtri in Principem redundans, ſaepenumero ab ipſo committente reſarciri non poſſit. Verum enim verô

haec

Digitized by Google

haec dubia omnem imputationem a Principe vix removebunt. Affectata ſiquidem nec plane invincibilis talis ignorantia nominari meretur, namque et debuiſſet et potuiſſet fidem et induſtriam miniſtri, exacte inveſtigare, bonosque miniſtros eligere *a. l. 3. pr. ff. de publican.* culpae proinde adſcribitur minus fideles ad officium adhibuiſſe, *L. 7. §. 4. ff. Naut. caup. ſtab.* quamobrem mala electio eligenti nocet *L. ult. C. de acquir. poſſeſſ.* et electores officialium pro damnis ab his praeſtitis conveniri poſſe, probat ANTON. FERNAND. de OTERO *Tract. de official. Reip. cap. 17. num. 12.* Praecipuum enim ſuperiorum officium in eo conſiſtit, ut miniſtros maxime idoneos ſeligant, et in eorum candorem caute et circumſpecte et ſedulo inquirant. Ut taceam, parum intereſſe aliquid ſcire, vel facile ſcire poſſe, maximamque, noſſe ſuos, Principis eſſe virtutem, utpote Princeps ipſe videtur regere mediantibus hiſce officialibus. Quemadmodum ob conſulum negligentiam in adminiſtranda juſtitia totus civitatis ſenatus, qui hoc ipſo tertium in aliquod periculum vel damnum conjecit, conveniri poteſt, NICOL. MYLER ab Ehrenbach, *in Hyparcholog. cap. 10. §. 33.* ſimile exemplum deprehendimus in *L. 2. C. de condit. in publ. horr.* ubi negligentia procuratoris ratione corrupti a pluviis frumenti ad damnum Praeſidis refertur, unde etiam Princeps cur conqueratur, non habet, neque tali praetextu ſe poteſt ſubtrahere, quod forte bona miniſtri delinquentis ad damnum reſarciendum non ſint ſuffectura, cum exinde jus tertii periclitari non debeat. Inde cum quaeſtio oriretur ſat nobilis inter dominos de Sonneburg et Principem territorii, re nempe pro-

D poſita

poſita, ut facile patebit, fictis nominibus, deſuper conſulti Scabini Lipſienſes reſponderunt illuſtri praejudicio, iſtis jus venandi per praeſcriptionem immemorialem quaeſitum relinquendum eſſe *verſus Freyſtadt ad Juſtum Sincerum M. Maj. 1708.* cujus rationes dubitandi et decidendi inter alias hae erant: Ob wohl angeführet werden möchte, daß die von Sonneburg den non uſum keinesweges zu allegiren hätten, maſſen einem Landes-Herrn nichts praejudiciret, wenn ſeine Officiales, Jagd- und Forſt-Bedienten hierunter etwas negligiret hätten,

NICOL. CHRISTOPH. de LYNCKER *Cent. II. Dec. 108.*

ſondern ipſa Principis ſcientia erfordert werde, alſo daß in dergleichen praeſcription auch das tempus immemoriale nicht genung ſey,

DIDAC. COVARRUV. *Tom. I. Praelect. cap. poſſeſſor Part. II. num. 12.*

Dieweil aber dennoch ꝛc. Und ob wohl geſaget werden möchte, daß des Landes-Herrn Wiſſenſchafft nicht dargethan, und ſeiner Bedienten Nachläßigkeit ihm nicht nachtheilig ſeyn könte; ſo iſt doch bekannt, quod non ſolum Principis, ſed etiam officialium ſcientia ſufficiat,

KNICHEN *de Jur. territ. cap. 3. num. 181.*

und inſonderheit die Wiſſenſchafft derer, ſo zu einer gewiſſen Sache beſtellet ſind, pro ſcientia Principis gehalten werde.

MYLER. ab Ehrenbach *in Hyparcholog. cap. 10. §. 27.*

et

Digitized by Google

et officialium non uſus per tempus immemoriale omnino praejudicet Principi

SAM. STRYCK. *de non uſu Jur. quaeſit. cap. 4. num. 12.*

Wie dieſes de Jure venandi in terminis deducirет

GEORGE MOHR. *de jure venandi Part. II. cap. 4. num. ult.*

IV.

Caſus 5.) de or undis ex neglecta Parochianorum cura, Parocho imputandis.

Non minoris momenti eſt imputatio, quae in parocho officium ſuum negligente obtinet. Enimvero tanta eſt hujus muneris magnitudo, ut ipſis angelicis humeris tremenda Patrum cuipiam viſa fuerit, quamobrem maximi etiam ponderis verba de hac re paſſim in ſacris literis occurrunt. Ita namque Deus ipſe, interprete Propheta *Ezech. c.3. v.18.* paſtorum negligentium imputationem explicat: Impio ſi egomet mortem annuncio, tuque ipſum adhortari omittis, ut fugiat peccata et vivat, morietur quidem impius ob peccata ſua, *verum ejus ſanguinem de tuis manibus poſcam*, cui accedit, quod *Jerem. 48. v. 8. Paulus Hebr. 13. v. 17.* de hujus officii gravitate profitentur. Cum enim quiſque propriam ſalutem cum timore et tremore quaerendam habeat, Parocho autem non ſolum ſuae, ſed et parochianorum ſuorum, ſalutis cura incumbat, quis tremor, quae ſolicitudo et vigilantia ad hoc munus non requiretur? Fundamentum imputationis hujus hoc eſt, quod conſentire videtur errantibus, qui ad reſecanda, quae corrigere officii ratione debebat, non occurrit, *can. 5. diſt. 83.* in qua diſtinctione tota, ut et

in ſubſequente 86. compilator Decreti Gratianus plura congeſſit ad rem noſtram apprime facientia. Indeque Pontifex Praelatos excitaturus, ut diligentius corrigant ſubditorum exceſſus, illis ſiſtit exemplum Heli, ſummi ſacerdotis, qui licet in ſe bonus exiſteret, quia tamen filiorum exceſſus efficaciter non corripuit, et in ſe pariter et in ipſis animadverſionis divinae vindictam excepit *in cap. 3, X. de Simon.* Id quod argumentum Paſtoribus plurima cum emphaſi ex Pontificiis ANDREAS BERTONVS *in Tract. de negligent. et omiſſion. Part. II. art. 32.* AVGVSTIN. BARBOSA *de officio et poteſtate Parochi Part. I. cap. 3.* FRANCISC. DVARENVS *de Sacr. eccleſ. miniſter. ac benefic. Lib. 8. cap. 5.* nec minus ex Noſtratibus JOH. ANDR. QVENSTED. *in Ethic. paſtoral. monit. 51.* inculcant. Id urget etiam hinc inde textus Ordinationis Eccleſiaſt. Saxon. Prae reliquis notabilia ſunt verba Agendae ſic dictae, quam inſeri voluit allegatae Ordinationi an. 1580. promulgatae Sereniſſimus Elector Auguſtus, Stator primarius Jurium Eccleſiaſticorum Evangelicorum, dum in praefatione graphice delineat Parochum Romanae Eccleſiae negligentem: Er iſt nichts anders, inquit, denn ein Bauch-Diener, der gar nichts darnach fraget, ob er zehn oder zwantzig Jahr in einer gantzen Stadt drey viertauſend Seelen verſäumet, ja ob er in Städten, Dörffern, drey vier Pfarren auf einmahl habe, und unzehlich viel arme Seelen und Gewiſſen jämmerlich troſtloß laſſe, welche er weder lehren, tröſten noch unterrichten kan, ſeine Sorge iſt nicht Seel-Sorge, ſondern Korn- und Mehl-Sorge, ſeine beſte Kunſt iſt, daß er ſein Zinß-Regiſter leſe, und machet ſonſt wohl das gantze Jahr keine Feder naß, denn wenn er auf

Michael

Digitized by Google

Michael und Martini in das Regiſter (dedit) ſchreibet. Extant ea in Codicis Auguſtei nuper tandem Deo favente editi *Tom. I. Part. 2. lib. 1. cap. 1. pag. 485.* Quam tamen Socordiam, ut ne imitari audeant Miniſtri ditionum ſuarum, ſevere mandat Sereniſſimus Tit. Daß ein Kirchen-Diener vor denen Conſiſtorialen, ehe er zu inveſtiren befohlen, ſeines Amts halber zu erinnern, daß der Kirchen-Diener allewege mit höchſten Ernſt bedencken ſolle, da etwas an der Kirche durch ſeine Fahrläßigkeit, Ungeſchicklichkeit, oder Unfleiß, der Kirchen zu Aergerniß, Schaden und Unheil eingeführet, oder verurſachet würde, ſo wolle unſer HERR GOTT, der Himmliſche Vater, ihr Blut von ſeiner, des Kirchen-Dieners Hand, fordern, *in Cod. Aug. pag. 529.* Nec poterit non fervere Parochus in proſequendo hoc ſuo officio, ſi meminerit ponderis verborum, quibus moneri ſolent ſinguli in ſolenni formula Ordinationis ex praeſcripto Sereniſſimi Tit. Gemeine Form und Weiſe, auf welche ein neuer Kirchen-Diener ordiniret werden ſoll, *pag. 534.* Quapropter, ne triſtem hancce imputationem ſubire aliquando debeant parochi, ſumma illos ope niti decet, ut non ſolum ipſi publice praedicando, catechiſando, examinando curae ſuae concreditos, et rudem praeſertim plebeculam, ſollicite erudiant, ſed et ſcholas parochiarum ſuarum et earum Moderatores per crebras viſitationes, mandatas *in Ordinat. Scholarum Tit.* von Inſpection der Teutſchen Schulen, *pag. 598.* nec non *Decreta Synod. Reviſo de anno 1674. §. 50. pag. 833.* ſollicite obſervent. Verum cum ſola ſcientia in rebus Theologicis non ſufficiat, ſed praxis

 potiſſi-

Digitized by Google

potiſſimam Chriſtianiſmi partem abſolvat, non minus ſedulo in hanc inquiret, ſingulorumque mores ſub examen revocabit Paſtor probus, cui ſalus ovium ſuarum cordi eſt, nec gravabitur ille, hunc in finem frequentes viſitationes domeſticas, quas JCtus, ut in caeteris, ita et in hoc conſilio pius JOH. BRVNNEMANNVS *in Jur. Eccleſiaſt. Lib. I. cap. 6. toto membr. 2.* laudat, ſuſcipere, quemadmodum etiam poſtulat *Synod. Decret. Reviſum* §. *35.* Daß die Prieſter in Städten und Dörffern Krancke preßhaffte und verlebte Perſonen öffters und ohnerfordert, auch ohne Abheiſchung einiger Gebühr beſuchen, *in Cod. Aug. pag. 831.* Prae reliquis vero omni cura eo allaborabit, ut et proprio exemplo ad vitam ſanctam Parochianos ciere non omittat. Quibus ita conſideratis facile nunc quoque patebit, ſtudioſe cavendum eſſe ab iis, ad quos ea pertinet cura, ne aut rudis, aut moribus corruptus in officium tale forte irrepat, nemo quippe in eccleſia nocet amplius, quam qui perverſe agens, nomen vel ordinem Sanctitatis habet, et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur *can. II. diſt. 83.* quod illi imprimis advertere velint, qui examina Conſiſtorialium nimiae ſeveritatis accuſant, non penſitantes, quod et his imputet noxam e nimia lenitate metuendam *Ordinat. Eccleſ. in artic. general. I.* §. Desgleichen wollen wir, dum eos hortatur, daß ſie mit Ordination ungelehrter, ungeſchickter, ärgerlicher Kirchen-Diener nicht fremder Sünden und des erſchrecklichen ewigen Verdamniß armer Seelen ſich theilhafftig machen, wie ſie denn deßhalben am jüngſten Gerichte dem gerechten Richter Antwort geben müſſen, *in Cod. Aug.*

pag.

Digitized by Google

pag.659. Quo loco non poſſumus, quin depraedicemus curam plusquam paternam POTENTISSIMI Patriae noſtrae PATRIS, qui per tot Reſcripta hactenus continuata, ſaluti ſubditorum ſuorum, ut in aliis, ita et in remedenda plebis ignorantia, et promovenda morum probitate, pie proſpexit, multumque eo ipſo adjuvit ſolicitudinem proborum Eccleſiae Miniſtrorum. Ex iis allegare ſufficiat Reſcriptum ſub 9. *Dec. 1705. ſub 22. Dec. 1706. ſub 17. Octobr. 1710.* quibus inprimis Superintendentibus injungitur, ut viſitationes locales frequenter inſtituant, et in iis inquirant ſollicite in defectus hinc inde obvenientes, ut et ſub dato 22. Maj. 1713. quo ſcholae praeſertim rurales emendantur et mandatur, ut ante uſum S. Coenae ſinguli Parochi nomina profiteantur Confeſſionariis ſub 1. Sept. 1713. quo obviatur pluribus obſtaculis aliis. Inde Paſtorem munia ſua in loco non expedientem, remotione etiam puniri, et ut idem parochiae, peſte etiam infectae, relictis curae vicinorum parochiis filiabus non infectis, curam gerat, comminatione poenae imo et remotionis adigi poſſe reſpondit Conſiſtorium Lipſ. an A. A. Knichen *M. Decembr. 1682.*

V.

Ne proceſſualem materiam prorſus poſthabuiſſe videar, procuratorem ſubnectere lubet. Scilicet cum procurator, qui principalis ſui cauſam coram judice defendendam ſuſcepit, duplici potiſſimum ratione, illi nocere queat, culpa ſcilicet et dolo, quaeſtio oritur an domino iſta culpa vel dolus imputetur? culpam admiſ- *Caſus 6.) de culpa et dolo Procuratoris domino imputandis.*

ſam

ſam ſi examinamus, omnium ferme doctorum conſenſu domino eam nocere aſſerimus, tum quia dominus ſibi imputandum habet, quod talem negligentem ad cauſam ſuam procuratorem elegerit, *L. 23. in fin. ff. de minor. L. 8. ff. de inſtit. act.* ANDREAS BERTONVS *de negligentiis et omiſſionibus, Part. II. a. 36. n. 3.* JOH. BAPT. COSTA *de facti ſcientia et ignorantia Inſpect. 52.* tum quia procurator ipſe dominus litis cenſetur, quidve ab eo geſtum ſit, ab ipſo domino geſtum intelligatur, quem in modum referente CARPZOV. *P. I. Conſt. I. def. 22. Menſ. Febr. 1632. a Scab. Lipſ.* pronuntiatum legimus. Dolum vero quod attinet, non eadem omnibus ſententia eſt. Negantes in eo potiſſimum fundamentum quaerunt, quod mandatum non praeſumatur dolum continere, indeque dominum ipſo jure tutum eſſe ob dolum, ſicut id allegatus AND. BERTONVS *l. c. P. II. a. 36. n. 10.* nec non Illuſtris BERGERVS *in Diſcept. for. tit. VII. Obſ. 7.* defendere ſtudent. Mihi quid videatur ſi adjicere licet, affirmativam potius amplecterer, aſſerens, quod ſi etiam ſcienter et doloſe procurator quid fecit vel neglexit, quo principali cauſae damnum illatum eſt, illud huic noceat; dummodo procuratorium fuerit generale, ampliſſimis verbis et cum liberrima poteſtate conceptum, aut ita non reſtrictum, ut excludat cauſam, cui ſeſe intromiſit procurator: Idque ex iisdem, quae ratione culpae, adduxi argumentis. Quibus accedit, quod interſit reipublicae ut litium tandem ſit finis, et ne decipiatur adverſarius, ad quod elegans eſt argumentum, quod exercitor omnia magiſtri facta praeſtare debet. *L. 1. §. 5. ff. de exer-*

exercit. act. et ita omnino decidere videtur, *L. 10. C. de Procur.* dum edicit: rem judicatam reſcindi non oportere, licet fraude vel dolo quid egerit procurator, *add. L. 18. §. 4. ff. de dolo mal.* Ita ſentientem reperi JOH. PETR. FONTANELLAM *Dec. 169.* et FRANCISC. RISICATVM *de ſtatu hominum in republica, Tom. II. Tit. de ſtatu Advocat. Cap. III. p. 320.* Excipiendus autem erit a regula caſus, quo actor ipſe cum rei procuratore colludendo obtinuit, ut condemnaretur reus, quippe in quo iſti, judicati executionem poſcenti, obſtabit doli mali exceptio, per *L. 9. ff. de dol. mal. met. except.* Facit huc quodammodo enunciatum Scabinorum Lipſ. apud RIVINVM *ad conſultationem E.* Rotzens *menſ. April. 1692.* A regula ſupra memorata non multum abludit caſus, quo mandatarius contra intentionem mandantis majorem ſummam acceperat, mandans tamen ut integrum reddat, condemnatus eſt apud BENED. CARPZ. *Dec. 130.* Attamen hactenus tradita non ita accipi volo, ac ſi laeſis ejusmodi ratione principalibus regreſſum adverſus oſcitantes aut improbos procuratores denegem, hunc enim dari contra utrosque nullum eſt dubium cum et dolum et omnem culpam praeſtandam eſſe a procuratore diſponit *L. 13. C. mand.* Et ſi non eſt ſolvendo procurator, pro re nata, in integrum reſtitutione gaudebit principalis contra factum ejus CARPZ. *Proc. Tit. V. art. VII. n. 73.* Idque obtinebit etiam in iis cauſis, in quibus damnum aeſtimationem non recipit; quales ſunt matrimoniales, ita decrevit Conſiſtorium Lipſ. in

E caufa

cauſa A. S. I. contra C. D. zu Grimma, ubi, lata ſuper deſertione reprobationis ſententia, in rem judicatam tranſierat, reo tamen multum querente, ſe non ſua, ſed ſola advocati et procuratoris culpa exceptionibus maxime relevantibus fraudari, pronuntiabatur. *Menſ. Jan. 1705:* Das Klägers Suchen nicht ſtatt hat, ſondern es wird Beklagter geſtallten Sachen nach in integrum billig reſtituiret, und er dahero nunmehr mit ſeinen Gegen-Beweiß zugelaßen, iſt aber damit in Sächſ. Friſt einzukommen ſchuldig. Eaque Sententia confirmabatur in Leuteratione Menſ. Junii d. a.

VI.

Epilogus. Atque hic liceat mihi bona cum venia B. L. filum diſputationis meae abrumpere, non quod dicendi materia uberior deficiat, aut quod illa, quae dicta ſunt, uberius et copioſius exponi nequeant, ſed quod repentinus prorſus ex hac alma academia diſceſſus, quem mihi imperant ii, quibus non obſequi nefas eſſet, nec plura, nec ea quae allata ſunt, majori cum cura explicare ſinat. Scopum hujus qualiscunque laboris habeo unum, ut extent theſes nonnullae exercitio diſputatorio inſtituendo aptae, quem ſi conſecutus fuero, ut ſpero, Te, qui haec legere dignaberis, valere et meliora magisque limata olim, a me expectare jubeo.

)o(

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

PROLEGOMENA.

I. *Varius verbi imputare ſignificatus.*

II. *Fundamentum imputationis ex J. N. repetitum.*

III. *Diviſio factorum et inſtituti ratio.*

SECTIO I. THEORETICA.

I. *Subjectum, cui facta aliena imputantur.*

II. *In quantum valeat regula, cuique ſuum ſolummodo factum imputari.*

III. *De imputatione in ſpecie ex delictis alienis, a qua nec immunis eſt univerſitas.*

IV. *De objecto imputationis.*

V. *Cauſa efficiens Imputationis remota.*

VI. *Cauſa efficiens proxima, concurſus circa actiones alienas.*

VII. *Modi quibus circa actiones illicitas ante patrationem concurritur.*

VIII. *Modi quibus in ipſa delicti patratione concurritur.*

IX. *Mo-*

IX. *Modi quibus poſt patrationes concurritur ad factum alienum illicitum.*

X. *Concurſus per omiſſionem.*

XI. *Vberior ejus deductio.*

XII. *Caſus ubi etiam ſine concurſu ad crimen alienum imputatio locum habet.*

XIII. *Effectus imputationis.*

SECTIO II.

CASVS SPECIALES PRACTICOS SISTENS.

I. *Tranſitio ad partem practicam. Caſus 1) de Aſſaſſinio, ejusque imputatione.*

II. *Caſus 2) de Rapina ejusque imputatione. Caſus 3) de ſacrilegio ejusque imputatione.*

III. *Caſus 4) de factis officialium Principi imputandis 1) licitis 2) illicitis.*

IV. *Caſus 5) de oriundis ex neglecta Parochianorum cura Parocho imputandis.*

V. *Caſus 6) de culpa et dolo Procuratoris domino imputandis.*

VI. *Epilogus.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

)o(

Digitized by Google